DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

TIMOTHEUS LUCEY,

Hibernus.

ο Βίος βραχυς, η δὲ τεχνη μακρη, ὁ δε καιρος οξυς, η δε πεῖρα σφαλερὴ, η δε κρίσις χαλεπή. HIPP. APHOR. PRIM.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1818.

FRATRI SUO DILECTISSIMO,

Rev. Samueli Lucey,

QUI OMNIA QUAE

A FRATRE PRAESTANTISSIMO

SPERARI POTUERUNT,

SEMPER LUBENS, PROMPTUSQUE

PRAESTITIT;

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

UT AMORIS PIGNUS,

TENUE SANE, SED SINCERUM,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

In hac dissertatione consilium est, de Scarlatina tum Simplici, tum Anginosa et Cynanche Maligna, utpote ejusdem generis varietatibus, disceptare. Res vero est notissima, auctores plurimos ab hac sententia dissentiisse ; tandem de ea dubitari desitum est, quippe Villanus historiam ejus cum summa diligentia indagans, hoc modo nempe et multo usu edoctus, eas vere varietates ejusdem esse mali, eandemque causam agnoscere ostendit. Hanc opinionem medicorum peritissimorum Gregory, Fordyce, aliorumque experientia jampridem confirmavit. Ambagibus de historia litera-

ria penitus omissis, jam medicam adeamus, auspicaturi ex specie morbi simplice.

I. HISTORIA.

Hic morbus, licet autumno vel ineunte hieme se ostendat, quavis tamen anni tempestate adoriatur. Cum epidemice grassetur, omnes ejusdem familiae, praesertim juniores, invadere solet, ni ab iis morbo laborantibus summoveantur.

Scarlatina simplex.—Hanc speciem morbi mitissimam praeeunt vultus subpallidus ac dejectus, languor et infirmitas generalis. Impetus ejus accedit nausea et rigore leni, quae paulo post calor auctus atque sitis excipiunt. Sub vesperem omnia haec symptomata ingravescunt, calor multum intenditur, anhelitus fit calidus et urens, atque noctu agitatio multa adest. Die secundo erumpit efflorescentia, primo in faciem et collum comparens, quae circa horis viginti quatuor, per universam cutem diffunditur ; color (nota morbi praecipua) in manus maxime saturior est, praesertim sub vesperem diei quartae ; tunc vero fauces neque sint liberae a colore igneo, et facies

etiam nonnihil tumida est. Per totum morbi decursum, praesertim tempore quo rubet cutis, pulsus debilis et celer evadit. Rubor cutis mane semper dilutior est: die quinto se subducere incipit, et fere septimo prorsus evanescit. Elanguente colore coccineo, cuticula decidere solet; per squamulas furfureas fere parvas abiit; interdum vero laminae majores, praesertim manibus et pedum plantis excidunt*, atque cuticula renovata, ad sanitatem brevi reducitur aeger.

Scarlatina anginosa.—Inter praemonentia notatu digna, cernuntur faciei pallor, animique dejectio, aeque ac in specie jam memorata. Pulsus aliquantum citatus, et sensus tensionis rigiditatisque musculorum colli; pyrexiae aliquot horis (etiam aliquot diebus, ut quibusdam placuerit†) praegrediuntur: plerumque vero de morbi accessu monent capitis dorsique dolores, quibus cito superveniunt horror et dein calor; his iterum iterumque alternantibus, tandem permanet calor multum auctus; tunc subsequuntur nausea et vomitus, qui fere ad diem quartum usque perstat: porro, aeger calore, inquietudine plurima et siti implacabili urgetur: his brevi accedunt respiratio crebra suspiriis fracta, solicitudo, summusque

* Heberden.

† Dr Sims.

languor. Die secundo, una cum faucium aspredine et angustiae sensu, deglutitio fit aliquantum difficilis, et faucibus internis inspectis, velum pendalum palati, uvula et tonsillae tumidae nonnihil et rubentes, saepe crustis mucosis sparsim albescentes reperiuntur; hae tamen ulcera profunde defodentia raro celant *. Haec faucium conditio sese ostendit interdum ab initio morbi, saepius tamen cernenda erumpente efflorescentia (de qua statim,) simulque cum ea ingravescit, et etiam quoque remittit †. Lingua ad superficiem (praecipue radicem versus) sicca et albido vel subfusco muco obducta est. Nares interdum intus inflammantur, et brevi (ut verbis clari Heberdeni utar,) "acer humor copiosus ex iis depluit, partim salivae specie exspuendus, partim e naribus distillans, unde aegri fiunt surdastri, rauci vel fere muti, et interea sapor omnium rerum et odor illis perit. Interdum hoc profluvium acre exulcerat intus nares et totum labrum superius, sic ut crusta obducta multos dies perseveret post morbi fugam." Aliquando quoque cum saliva deglutitur, et per intestina iter faciens, diarrhoeam (quae in hoc morbo praesertim inter juniores saepissime sese ostendit) incitare putatur: ab hoc

* Withering.

† Willan.

etiam ani cluniumque excorationes effici solent. Pulsus celerrimus, parvus et debilis est. In exemplis nonnullis plenus ac durus fuisse dicitur. Per totum morbi decursum sub vesperem omnia signa exacerbescunt. Aegri per noctem multum vigilant; nunc vero semisopiti, nunc somno alto oppressi, persaepe delirant: ad hoc attinet quod notat auctor modo citatus, "In febre rubra aegri vel ipso primo die delirant, atque interdum, licet omni alio periculi indicio vacent, tamen non cessant aliena loqui singulis noctibus ab initio morbi usque ad finem."

Die tertio (interdum citius, aut serius) eruptio in easdem partes, ut in alia specie jam enarrata, primum se ostendit, cursumque eundem tenet, nisi quod per universam cutem non semper diffunditur rubor*. In omni fero exemplo, partes rubentes quodam tumore afficiuntur, digiti praecipue, qui insuper rigidi fiunt et aliquando dolent. Morbo sic progresso, plerumque sextum inter et nonum diem, sudore erumpente exitum faustum habet†. Tunc cutis calor et arteriarum pulsus imminuuntur; eruptio fit pallidior aut fusca; cibi appetitus redit, ac aeger gradatim convalescit. Eodem fere tempore in crustas exeunt

* Heberden. † Ibid.

partes faucium affectae, et si exulceratae sint, pus sanum emittunt et brevi medentur.

Cynanche maligna.—Haec species, quamvis a scarlatina anginosa initio parum distat, in eventu tamen multo magis lethifera evadit. Infrequens est, et plerumque hieme solummodo apparet. Cum signis pyrexiae jamjam recensitis invadit, et fere vertigine, maxima virium prostratione, nausea atque vomitu, et foedissimo spiritus odore. A capite de dolore et sensu gravitatis aeger multum conqueritur, labore spiritum ducit frequenter suspirans, et cum voce submissa vel absona loquitur. In omni fere exemplo animi dejectio maxime insignis est, et anxietas summa circa praecordia sentitur. Lingua, dentes et labia muco subfusco vel nigro obducuntur; nonnullis est facies pallida et depressa ; in aliis tumida, ruboreque paululum suffusa videtur ; oculorum acies obtunditur ; hi quoque rubri et aquosi interdum sunt. Tussicula etiam cum vocis raucedine saepe praesens est ; et faucibus internis brevi ab insultu morbi inspectis, omnes partes praeter solitum rubore nitentes ac nonnihil tumidae apparent : cito tamen maculae amplae coloris albidi vel cinerei eas obsidunt, quibus statim coalescentibus, in crustas abeunt : his sublatis, ulcera foeda alte erodentia in con-

spectum veniunt; haec occupant praesertim tonsillas, uvulam, et velum pendulum, non infrequenter ad oesophagum asperamque arteriam serpent. Eodem modo affici tubas Eustachianas haud absimile videtur; nam ex auribus quorundam aegrotantium libere profluxisset sanguis *. In hac specie quoque partes corporis superiores, colore saturate rubro, saepe obscuro, primo inficiuntur; hoc apparente, saepius tamen die quinto vel sexto, quum cuticula decidere incipit, febris aliquando paulum remittit; glandulae tumidae decrescunt, atque ulcera in faucibus (crustis depositis) nitida et parum profunda apparent, posteaque fauste procedunt omnia. Tamen ut in pejus ruant multo frequentius est, tunc oriuntur hic et illic in cutem maculae amplae lividae, ex diversis partibus sponte profluit sanguis, faucium ulcera late serpent, et gangraena corripiuntur, delirium vel coma usque perstant, urina et faeces inscio aegro elabuntur. Sudor gelidus tunc erumpit; denique languescunt oculi, et mox singultu vel convulsione superveniente, vitam cum morte commutat aeger.

Inter decursum morbi, ulcera maligna non solum in gutture, verum et in variis corporis parti-

* Fothergill et Withering.

bus nonnunquam conspiciuntur; etiam caries ossa maxillarum aliquando tentat.

Interdum totum guttur extrinsecus (saepe paucis horis ab insultu morbi) tantum tumet, ut suffocationem minitetur, immo haud raro efficit *.

Multi hoc morbo confecti, primos quatuor intra dies, nullo signo praegresso quod adventum lethi indicaret, improviso interierunt: ex sanguine in capite effuso hoc effici putatur †: alii idem ex gangraena aliquod viscus internum, praesertim ventriculum vel pulmones correpta, quoque pendere existimant ‡.

Affectio faucium inflammatoria, ad ipsam interdum laryngem et pulmones serpisse, vocemque sub difficili admodum respiratione ac suffocationis periculo, vel omnem suppressisse, aut cynanchem trachealem, aut pneumoniam produxisse etiam conspecta est. Sub initium hujus morbi etiam per decursum, adolescentulis nonnullis immature apparuerunt catamenia, atque saepe puberibus tempore insolito profuse fluxerunt §. In stadio provecto haemorrhagiae frequenter ex diversis partibus corporis occurrerunt ||. Qui sic

* Praelectiones Doctoris Gregory et Huxham, p. 285.

† Audi Praelectiones supra citatas.

‡ Willan. § Fothergill. || Idem.

affecti perpauci, et tarde convaluerunt, multi vero tabe lenta consumpti, nihil ultra nervos atque cutem morti concesserant atrae. Post quamlibet varietatem morbi, tumores hydropici interdum oriuntur: hos transpirationi neglectae nonnulli ascribunt, sed verisimilius pendent ex debilitate, quae vehementem incitationem vasorum sanguineorum excipit. Plerumque se ostendunt decem intra dies ex quo efflorescentia evanescere incipit, fere autem sponte decedant, saltem vel diureticis et tonicis facile depellerentur; tamen haud desunt exempla, ubi mortem arcessiverunt *.

Nonnulli qui gravius laboraverant, dolores, quales sunt rheumaticorum, experti sunt. Hi quoque viribus refectis, fere se subducere solent.

Nullo quidem non tempore, hic morbus tum mitior, tum gravior, occurrit; nunc adeo lenis, ut viribus naturae facile cedat; nunc adeo exitialis, ut auxilium artis prorsus superet. Interdum efflorescentia aliquot horis ab accessu, in aliis nonnisi tertio vel quarto morbi die in conspectum venit. Quibusdam est universa cutis rubore suffusa, in aliis brachia et pectus solummodo rubent. Quod vero mirum, sed plurium observatione constat, est scarlatinae ad solas fauces limitatio, et non secuta

* Hamilton on Purgatives, Appendix.

ad cutem exanthematis, eodem tempore grassantis, eruptio; cum tamen hac sola excepta, morbus sub propriis scarlatinae signis absolveretur *. Maxime notatu dignum est calorem, in unaquaque specie hujus morbi esse ardentissimum; hunc enim ad gradum 108m vel 110m, immo ad 112m scalae Fahrenheitianae ascendere, ait Dr CURRIE. De hoc tamen haerendum est, quoniam GREGORIUS accuratus in ullo exemplo hujus morbi quod vidit, calorem ad hunc gradum esse negat.

CAUSAE.

OMNIA quae vires frangunt, corpus huic aeque ac plurimis aliis morbis proclive reddere putantur. Hic quosvis adoritur mares et foeminas, infantes ac adultos, praesertim debiliores junioresque utriusvis sexus, quibus maxime funestus est; notandum est vero eos qui admodum sunt infantiles, nempe annos duos natis minores et vetulae, sunt illi minus opportunae quam juniores †.

Causam hujus morbi excitantem esse venenum peculiare, omnes medici, ni fallor, consentiunt.

* Frank de Exanthematibus. † Heberden.

Cujus vero rationem reddere frustra conaremur; hoc enim vetat humana, de contagiorum natura, ignorantia. Quoad contagia in genere, et hoc praecipue de quo versamur, fortasse haud abs re erit, sententias Doctorum HAYGARTH et BLACKBURNE leviter attingere. Hi viri ingeniosi sibi persuasum habent, quod limites ultra quos venena hujusmodi innocua fiunt arctissimos esse, et haud passus solummodo paucos e corpore infecto transire. Hoc admodum licet desiderandum, probatione adhuc carere vereor. Quod est tamen alicujus momenti, BLACKBURNE ostendit corpus scarlatina correptum, non solum dum adsit morbus, verum et ad usque diem decimum, vel diutius post fugam ejus, contagiosum perstare, et morbi propagandi vim retinere. Existimare etiam videtur BATEMAN, contagium ab iis ex hoc morbo valentibus esse promovendum, quamdiu cuticula deciderit.

An per vitae decursum scarlatina aliquem bis afficiat, inter medentes multum disputatur; censent Doctores CLARKE et CURRIE id fieri non posse. VILLANUS inter omnes aegros quos curavit, se nunquam alteram ejus tentationem vidisse testatur. Cum hoc quoque assentit Dr WITHERING. E contra, Doctores GREGORY, HEBERDEN, et BLACK-

BURNE se vidisse eundem hominem secunda vice hoc morbo affectum contendunt. Ex his licet diversis sententiis colligere fas est, rem rarissime saltem evenire, atque dubium haud esse, eos qui semel quam qui nunquam morbo tentati fuere, multo minus huic esse obnoxios.

DIAGNOSIS.

MORBI huic quodammodo affines sunt, morbilli, roseola, erysipelas, urticaria, et cynanche tonsillaris.

De hac re forsan haud alienum erit verba Doctoris FRANK citare: " Signum certum ac pathognomicum, ex quo futura exanthemata praenoscere valeamus, nisi cognitus regnantis epidemiae character illorum, quae pro talibus habentur, auctoritatem corroberet, nequaquam habemus."

Morbilli. Hic morbus eo scarlatina distat, quod oculi illachrymantes sunt, et palpebrae tumidae, quae ineunte scarlatina raro cernenda sunt. Praeterea VILLANUS affirmat, licet maculae coalescant, plerumque formam regularem assumunt, semicircularem nempe, seu huic plus minusve similem;

dum in scarlatina diffusae nullumque ordinem referentes inveniuntur.

Roseola dignoscenda est, febre semper leniore, et colore roseo cutem inficiente vespere primi diei vel noctu, qui per diem unum alterumve durat, calore vix aut ne vix quidem aucto.

Erysipelas, quocunque vero loco in conspectum prodeat, pars affecta gravitatis primo atque caloris, mox vero doloris insigniter urentis, sensum experitur. Porro eruptio ad colorem subflavum usque spectat, et calor corporis haud ita tantum augetur, ac in malo, de quo disserimus.

Urticaria. Hanc inter et scarlatinam haud difficile est diagnosin instituere, eo quod exanthema externo a frigore copiosius prorumpit, et ex calore facillime disparet, cum intolerabili pruritu, sed cutem scalpendo mox iterum revocari queat.

Cynanche tonsillaris. In hac tonsillae tumidiores sunt, et devoratio multo magis impedita ; ad haec, desunt debilitas, nausea aut vomitus, quae scarlatinam plerumque introducunt.

PROGNOSIS.

Haec a forma quam induit morbus, fauciumque conditione, multum pendebit. Quo magis ad speciem scarlatinae simplicis spectat, tanto securior est aeger; quanto autem accuratius signa cynanches ostendit, tanto magis lethalis. In judicio tamen de eventu utriusque ferendo, tum aetatem aegri tum habitum corporis respicere debemus. Ad durationem morbi atque proclivitatem ejus consuetam etiam advertendum est; infantes enim et debiliores utriusvis sexus, saevitiam ejus maxime experiri solent; vulgo etiam inter medicos dicitur, si aeger post quintum diem superstes fuerit, ac praesertim si ad nonum provectus esset, rarissime ei succumbit.

Morbi admodum periculosi impetum docent anxietas summa, vel cephalea immanis; aut dyspnoea, cum pulsu debili, vel inordinato. Quum ineunte morbo vires repente amittantur, deliriumque vel coma perpetuum urgeant; aut siquando eruptio subito retropulsa sit, vel fiat livida, aut di-

arrhoea exhauriens superveniat, in summo sane periculo versatur aeger.

Species maligna plerumque male augurat. De hujus vero prognosi disserens, sic observat Heberden: "Inspectis faucium crustis, conjectura quidem fieri potest de periculo aegri, quod eo majus erit, quo latius illae manent, quo altius carnibus insideant, quo haerent pertinacius, quo saepius renascantur, et magis ad gangraenam spectent. Conditio tamen harum crustarum index est, non autem causa periculi."

Pessimus hujus morbi status est, ubi sponte occurrant haemorrhagiae; vel lividae pustulae in aliqua parte appareant; et vox stridula plerumque lethalis est. Si ulcera gutturis parum profunda, nec late serpent, et sudore erumpente pallidior seu fusca fit eruptio, febrisque mitior, et respiratione parum impedita, eventus faustus expectandus est.

METHODUS MEDENDI.

Ad hunc morbum rite tractandum fortasse tria consilia in animo usque retinenda sunt.

1*mum*, Ad progressum morbi sub impetu ejus, subito interrumpendum.

2*dum*, Ad symptomata acerbiora leniendum.

3*tium*, Ad debilitatem obveniendum, vitae vires sustinendo.

Ad primum consilium, non immerito laudantur remedia duo, emetica nempe et affusio aquae frigidae.

Emetica. Inter medicamina ad hunc morbum depellendum usitata, efficacissimum jure habetur vomitorium. Si recens sit morbus, decursum ejus plerumque frangit, et ad perfectam usque febris cessationem haud raro par est. Diarrhoeam quoque impedire, vel si forte eadem jam urgeat, hanc ad compescendam haud parum contulerit. Emeticum porrigere iterum liceat, si modo nausea adhuc continuet. "Cavendum vero est, ne ventriculi subversionem, nauseam ac vomituritionem, quae a contagii in eundem actione, vel ab inflammatorio magis, quam gastrico stimulo, oriuntur, emeticis incaute, atque cum certo aegrotantis damno pertractemus *.

Affusio aquae frigidae. Ad hoc remedium febres ad sistendas omnium potentissimum attentionem medicorum vocavit Dr Currie; atque in

* Frank.

hoc praesertim celeberrimus GREGORIUS, effectus bonos in sua familia primum expertus, vires ejus saluberrimus confirmavit.

Primis febris diebus haec affusio sola, quoties signa post primam applicationem instaurantur, iterata, donec calor decrescat, et pulsus pacatiores fiant, nullo alio remedio adhibito, scarlatinam fere semper abigit; tamen in mente perpetuo est habendum, quod hac uti solummodo sinat cutis ardens et sicca, sensu frigoris vel horrore omnino absentibus. Monet quoque Dr CURRIE, ut eadem minime utamur, quando signa catarrhalia adsint.

In stadio morbi provectiore, viribus multum quassatis, vel signis catarrhi instantibus, affusio aut lavatio tepida forsan magis conveniat.

Ad consilium secundum, remedia quae postulantur, nunc referre oportet.

Detractio sanguinis. Quoad venaesectionem in scarlatina anginosa, licet faucium tumor hanc indicare videatur, ea semper non sine magna uti cautela oportet: "Quotiescunque interim ex pulsu pleniori ac duro, ex majori ad fauces tumore ac incendio, ex spirandi difficultate, ac dolore quasi pleuritico, ex facie ruberiori ac turgente, cephalea, sopore aut deliriis, majorem quam par est arteriarum cordisque reactionem observamus; tan-

tum abest, quin exanthematis efflorescentiae venaesectio, etiam repetita, adversetur, ut ab ista potius liberior exanthematis in cute expansi, ac tumoris in guttur praefocantis, resolutio dependeat *."

Epispastica, ad fauces collumque applicata, testantibus Villaño, Heberdeno, multisque aliis, haud mediocriter prosunt. Tamen ex eorum usu Withering observasset interdum oriri, et saepe aggravari delirium, etiam ea adhibere ob gangraenae metum ausi non sumus †. Fortasse, si febris lenis sit, et fauces solummodo affectae, haud omnino rejicienda sunt.

Collutoria. Utprimum fauces laesae conspiciantur, gargarismi non sine summo fructu uterentur: horum varii, aliis temporibus diversisque medicis multum laudati sunt: infusum rosae gallicae cum pauxillo acidi sulphurici, vel vinum rubrum aqua admistum, forsan cuique consilio plerumque inservirent. Quod si partes lividae aut nigrae fiant, gargarismus magis stimulans usurpandus est; quale est infusum capsici annui, quod gangraenae faucium fortiter occurrere dicitur. Infantibus ad fauces gargarizandas haud facile adductis, syringis ope collutoria infundere debemus; et hoc sae-

* Frank. † Audi Praelectiones Doctoris Gregory.

pe est repetendum, aeger, ne ichorem, vel solum vel cum cibis deglutiat, qui aliter in ventriculum ac intestina descendens, ibi inflammationem vel exhaurientem diarrhoeam excitet.

Cathartica. In primis hujus morbi diebus purgantia mitiora commodissima fiunt; sed ad usum eorum iteratum, qui vi acri pollent, decurramus, cum Doctore HAMILTON haud omnino aequum consentire videtur. Quandocunque tamen obstipatio adsit, laxantia non rejici debent; quippe faeces in intestinis per longum tempus inclusae corpus multum irritant, atque morbum inveterascere haud parum conferent. Viribus aegri multum quassatis forsan enemata emollientia anteponenda sunt. Usque vero cavendum est, ne alvus nimis soluta fieret, et quocunque tempore diarrhoea superveniat, quamprimum est compescenda medicamentis astringentibus vel absorbentibus; atque imprimis clysterca amyli, superaddita opii tinctura, utilia reperientur.

Ad consilium tertium ventum est, nempe, ad debilitatem obveniendum.

Tonica. Virium prostrationem, quae scarlatinam fere comitatur, omnibus modis praepedire debemus. Timentes hanc medici quamprimum morbus sese ostenderat, tonica olim adhibere solebant:

haec nonnullis exemplis utilia forsan fuissent, tamen recentioribus in hoc stadio raro usurpantur; et si modo excitationem febrilem, quae sub morbi accessu plerumque adsit, ratione supra commendata praevertemus, debilitas et languor aliter venturi, impediuntur. Quod si morbus cum magna debilitate aggrediatur, calore haud multum aucto vel stimulo primi insultus morbi moderato, ad roborantia mox et cordialia transeundum est auxilia.

Morbi vero quos diximus scarlatinam supervenire interdum, et insequi, non minorem medentis attentionem sibi exigunt, quam huic conveniat, quorum tamen curationis expositionem si aggrediar, ultra limites dissertationi hujusmodi idoneos transirem; hanc ergo imperfectam admodum, ad finem jam perduxerim, cum hac animadversione, nempe, quod hos morbos ad consilia a CULLENO celeberrimo unicuique proposita, plerumque esse tractandos.

FINIS.